



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Vbi fuerit contentio exorta in Ecclesia de voce hypostasis. cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

nehuius hominis. Et ideo hypostasis, & persona: Anima enim, & caro & os sunt de ratione hominis. Sed hæc anima, & hæc caro, & hoc os sunt de ratione huius hominis. Et ideo hypostasis, & persona addunt supra rationem essentiae principia indiuidualia, neque sunt idem cum essentia in compositis ex materia, & forma: ut supra dictum est, cum de simplicitate diuina ageretur.

Ad quartum dicendum, quod Boet. dicit genera, & species subsistere in quantum indiuiduis aliquibus competit subsistere, ex eo quod sunt sub generibus & species in prædicamento substantiae comprehendis, non quod ipse species vel genera subsistant, nisi secundum opinionem Platonis: qui posuit species rerum separatim subsistere à singularibus. Substare vero competit eisdem indiuiduis in ordine ad accidentia, quæ sunt præter rationem generum, & specierum.

Ad quintum dicendum est, quod indiuiduum compositum ex materia, & forma, habet quod substat accidenti ex proprietate materiae. Vnde, & Boet. dicit in lib. 2. de Trinit. Forma simplex subiectum esse non potest. Sed quod per se subsistat habet ex proprietate suæ formæ, quæ non aduenit rei subsistenti, sed dat esse actuale materiae, ut sic indiuiduum subsistere possit. Propter hoc ergo hypostasim attribuit materiae, & vltimū siue subsistentiam formæ, quia materia est principium substandi, & forma est principium subsistendi.

22. **C**onclusio est: Idem quod significat res naturæ, suppositum, & hypostasis in tota natura substantia, significat nomen, persona, in natura rationali: circa textum articuli nihil video, quod peculiari indigeat explicatione, sed doctrinam illius disputationibus solitis examinare necesse erit.

DISPUTATIO CXXIV.

Quæ sit differentia inter has voces
Græcas ὑπόστασις Hypostasis,
& οὐσία Ūsia.

Vbi fuerit contentio exorta in Ecclesia de voce Hypostasis, cap. 1.

De antiquitate vocis hypostasis cap. 2.

Qui putauerint esse idem hypostasin, & Ūsiam, cap. 3.

Vera differentia inter hypostasin, & Ūsiam, c. 4.

Iuxta primariam significationem substantia latinis idem est, quod Græcis Hypostasis, ex vŷu autem Ecclesiastico non item, cap. 5.

CAPVT I.

Vbi fuerit contentio exorta in Ecclesia
de voce Hypostasis.

Geor. Casp. **T**Ria sunt nomina, ut inquit, Georgius Caspander in commentario de duabus in Chri-

sto naturis, ὁμοίᾳ Physis, & οὐσίᾳ, Ūsia, quæ res Damasceno in lib. primarum institutionum c. 1. substantiam vel essentiam sine ulla controuersia significant: tertium est, ὑπόστασις Hypostasis, de quo magna olim in Ecclesia Dei dissensio fuit. Scribunt autem Nicephorus lib. 10. histor. c. 3. & Socrates lib. 3. c. 7. huic controuersie primum occasionem dedisse Hosium Cordubensem, qui missus Alexandriam ab Imperatore Constantino ut excitatam ab Arrio turbam sedaret, primus de substantia & subsistentia, hoc est, οὐσία Ūsia, & ὑπόστασις Hypostasis, mentionem fecit: & an idem omnino significarent, in quaestionem vocauit. Postea vero, ut idem Niceph. affirmat, synodus Nicæna indignam indicauit quaestionem, quæ ibi tractaretur: sed paulo post in Concilio Alexandrino, teste Rufino lib. 1. histor. c. 29. iterum suborta fuit controuersia inter Patres, quidam enim dicebant idem esse substantiam, & subsistentiam (sic enim interpretatur Rufinus duo illa nomina Græca οὐσία Ūsia, & ὑπόστασις Hypostasis) alij vero contra asseriebant, non esse idem: quia dicebant substantiam esse naturam: subsistentiam vero esse personam, seu suppositum.

Porro Nicephorus lib. 10. histor. cap. 3. & Socrates lib. 3. cap. 7. narrant. in eo Concilio Alexandrino fuisse definitum, ne nomine Hypostasis communiter uteremur, cum in sacris literis non contineatur. & Paulus necessitate docendi coactus, tali voce fuerit vsus, nihilominus tandem in eodem concilio concessum fuisse, ut interim propter inopiam nominum, ea voce contra Sabelium, ad adstruendam personarum Trinitatem, ut liceret, ne solo nomine Trinitatem confiteri videretur: sic ergo, ut ait Rufinus contentione cautè, moderateque composita, vniuersique tenere suo perrexit.

Hinc occasionem ceperunt Concilium Sirmienſe, & Ariminenſe, ut deſiniret his nominibus Ūsia, & Hypostasis, non esse vtendum, quo liberius & nomen οὐσία Homousion, recipere, & hæresim Arianam, quam sedebantur, confirmarent, sicut norauimus ex sententia Athanasij, & Epiphaniij disputat. 110. cap. 4. & docet idem Nicephorus lib. 9. histor. cap. 39. & 44.

Ceterum lirem illam in Concilio Alexandrino excitatam composuisse videtur magnus Athanasius, qui, ut refert Nicephorus, libro 10. cap. 18. huic interfuit Concilio. Nam de Athanasio loquens Nazianzenus oratione 11. quæ est de laudibus Athanasij, sic ait. Vtraque parte leniter, & humiliter accersita, verborumque sententia diligenter, & accurate perpenſa, postea quam concordēs reperit, nec quantum ad doctrinam quidquam inter se diſſidentes, ita negotium tranſiit. ut nominum vnum ipsi concedere videretur. Id ipsum præstitit Nazianzenus Constantinopoli, ut testatur ipse in oratione ad 390. & 391. pſcopos, quæ est oratio 32. nam cum essent illi Theodosio conuocati, & similis inter eos fuisset orta controuersia, probauit Nazianzenus, nullam de rebus esse diſſensionem inter eos, qui dicunt tres hypostasies, & eos qui vñ aſſerunt, quæ res vtroſque conciliaret, concludit. An fieri potest, ut qui magis inter se concordent, atque idem dicant, quæ res ita sentiunt, tamenſi alioqui syllabis diſſerunt? &c. Et ita ad hæc vsque tempora liberum videbatur, ut nunciusque, uti voce Hypostasis, in ſenſu catho-

lico, aut pro natura & essentia, quæ dicitur, *Υψία*, aut pro persona: nec significatio huius nominis, *hypostasis*, ad hæc usque tempora fuit satis manifesta.

CAPVT II.

De Antiquitate vocis *Υψία* & *hypostasis*.

Hanc vocem, *hypostasis*, in significatione, qua videntur Ecclesiastici, barbaram esse existimant Nicephorus lib. 10. histor. cap. 15. Socrates lib. 3. cap. 7. Probat vero autoritate Irenæi Grammatici: nam si apud prophanos auctores reperitur, in alia omnino significatione est. Sophocles in Phœnice pro insidijs vsus est. Menander pro iuris condimento: aliquando etiam ponitur pro facie vini in fundo dolij subsistentes, veteres ergo (inquit ille) in alia significatione hoc nomine vsi sunt, quam recentiores: hi enim substantiam frequenter pro substantia viuant.

Verum non solum à tempore Athanasij scriptores Ecclesiastici eo nomine frequenter videntur ad significandum mysterium Trinitatis, vt infra videbimus; sed etiam, vt notauit Budæus in Commentarijs Linguae Græcæ, nomen *hypostasis*, inuenitur apud Aristotelem libro de mundo ad Alexandrum, ad significandam substantiam indiuiduam, vel naturam subsistentem; seu potius, vt ego existimo, ad significandam veritatem naturæ, & non solum speciem apparentem. Inquit enim longe ante medium, Eorum, quæ ex ære nobis obstruantur, vt stridit hæc attingantur, alia apparent, alia subsistant. Græcè autem pro eo, quod est, *Substantia*, dicitur *καὶ ὑπόστασις*, hoc est, secundum hypostasim sunt, hoc est, verè existunt; alia enim in ære videntur esse, quæ reuera non sunt, & Magnus Dionysius cap. 1. de diuinis nominibus ante medium, vt testatur ipse Budæus, Deum appellat *ὑποστάσιον*, henada trisypostasion, hoc est, unitatem ter subsistentem, vel potius, vt ego puto, ipsam fecunditatis diuinæ narrationem, Trisypostasion vocat, inquit enim; Itaque in omnibus serè diuinis libris diuinitatem ipsam sacris laudibus ornari, animaduertimus, vt monada quidem, & unitatem propter simplicitatem, deinde dicit, Vt Trinitatem autem, propter celestis fecunditatis in tribus personis enumerationem, Græcè autem est hoc modo, & ἡ τριάς ἐστὶν ἡ τριῦς ὑποστάσεις τῆς ὑπερσούλης ὑποστάσεως, hæc ille, ac si verbum pro verbo reddidisset hoc pacto, Secundum Trinitatem propter Trisypostasion supersubstantialis fecunditatis enarrationem. Et quod caput est, idem etiam Dionysius cap. 7. de diuinis nominibus post medium in Græco codice cap. 2. ter vtrius eodem nomine, *hypostasis*, & ubi Latine habemus, principalium personarum, & vnaquæque personarum, Græcè autem dicitur, *ὑποστάσεις ὑποστάσεων*, Thearchicon hypostasion. Eodem nomine in eadem significatione vtrius Iulianus in expositione veræ confessionis Trinitatis aliquantulum à principio, & in libro questionum. Christianis à gentibus positarum questionum.

Neque vero hæc nominis significatio aliena est ab alijs significationibus, in quibus prophani auctores, & Philosophi hoc nomen, *hypostasis*, vsurpant. Nam cum significat condimentum iuris, vel insidias, vel faciem vini in fundo cadi, non alicatione ea denotat, nisi quia sub alijs posita

CAPVT VI.

93

sunt: qua ratione subsistere, vel sub alio existere dicuntur: hæc eadem de causa dicitur substantia; quia accidentibus substat, & ideo Augustinus libro 7. de Trinitate capit. 4. circa finem dicit, in Deo esse substantiam absolute, quia secundum primariam nominis significationem nihil in Deo est, quod accidentibus substat: sic ergo, cum *hypostasis*, si Latine verbum pro verbo reddere velis, idem sit, quod substantia, vel (vt alij volunt) substantia, quasi, sub alio existens, & Latini appellent substantiam naturam ipsam subsistentem, vt opponitur accidentibus, vel etiam indiuiduam substantiam, quam vocamus suppositum, vel personam, hinc effectum est, vt de nomine *hypostasis*, fuerit inter Catholicos etiam controuersia quid significaret. Vtrum naturam ipsam, an personam, seu suppositum: vtrumque enim, sub alio esse, quodammodo dicitur.

CAPVT III.

Qui putauerint esse idem *hypostasis*, & *Υψία*.

Fuerunt in primis Latini Patres, qui nomen *hypostasis*, & *Υψία*, idem omnino significare arbitrati sunt: interpretantur enim vtrumque Latine, substantiam. Quamobrem & suspectum esse dicebant nomen *hypostasis*, cum aliqui tres hypostases in Deo concedebant: ex quo videbatur, naturam & essentiam Trinitatis diuidere. Sic Hieronymus in Epistola ad Damasum, quæ incipit, Quoniam reuoluto: Taceantur (inquit) tres hypostases si placet, & vna teneatur, nomen hoc non bona suspitionis est. Et paulo inferius: Mihi credite venenum sub melle latet: transfiguratur enim se Angelus Satana in Angelum lucis, nempe existimabat, nomen Græcum *hypostasis*, idem significare, quod apud Latinos *substantia*, vel *Essentia*, cumque Latini non audeant dicere tres substantias, ideo neque tres hypostases ille volebat admittere. Quare statim subiungit: Tota literarum secularium schola nihil aliud hypostasim, nisi *Υψία* nouit, & quis rogo ore sacrilego tres substantias predicabit? In eadem sententia cum Hieronymo fuit Augustinus lib. 5. de Trinitate, cap. 8. vbi sic ait. Essentiam dico, quæ *Υψία*, Græcè dicitur, quam *Υψία* substantiam vocamus: dicunt quidem, & illi (scilicet Græci) *hypostasim*, sed nescio quid volunt interesse inter *Υψία* & *hypostasim*, ita vt plerique nostri, qui hæc Græco tractant eloquio, dicere consueverint, *μία οὐσία, τρεῖς ὑποστάσεις*, quod idem profusus est vnam essentiam, tres substantias. Et continuo ca. 9. subiungit. Sed quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum dicimus substantiam, non audeamus dicere vnam essentiam, tres substantias. Et libro 7. cap. 4. in principio inquit; Dicitur est à nostris Græcis vna essentia, tres substantia; à Latinis vna essentia, vel substantia, tres persone, quia sicut ita diximus, non aliter in sermone nostro, id est Latino, essentia, quam substantia solet intelligi. Ex quibus constat, Augustinum eodem modo suspectam habuisse dictam vocem *hypostasis*, apud Latinos, sicut eam habuit Hieronymus, nisi quod tandem libro 7. de Trinitate, capite 6. concedit, Latine dici posse tres substantias in Deo, sicut Græce dicuntur tres hypostases, vbi scandalum non esset, & de sensu Catholico constaret. At Hieronymus seuerius negat prædictum modum loquendi. Ricardus vero de Sancto Victore lib. 4. de Trinitate, cap. 20. nouit hanc disse.